

Concii Jacobi: Exercitatio politica de imperio in mare posterior.

EXERCITATIO POLITICA
DE
IMPERIO IN MARE
POSTERIOR,

Quam

BENEDICENTE DEI AUXILIO,

CONSENSU

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

IN

ACADEMIA REGIOMONTANA

Publicè ventilabunt

M. MICHAEL HOYNOVIUS,

PRÆSES,

&

RESPONDENS

JACOBUS CONCIUS, Reg. Pruss.

Philos. Studios.

Anno cIↃ IↃc LXXXVI. d. Julii.

REGIOMONTI,

PRÆLO REUSNERIANO.

TRIUMVIRIS VIRTUTE, SALUBRIORI DOCTRINA, ET MERITIS MAXIME CONSPICUIS,

Nobilissimo, Amplissimo, atque Consultissimo

DOMINO

DN. HENRICO Bartsch/

Inclytæ Reipubl. Palæopolitanæ Senatori gravissimo, ejusdemque Camerario meritissimo,

Patrono, ac Evergetæ meo summo honoris cultu prosequendo.

Plur. Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo

DOMINO

DN. M. BARTHOLOMÆO Goldbach/ Hist. P.P. Celeberrimo, Archi-Diacono Ecclesiæ Palæopolitanæ multis modis meritissimo,

Mæcenati, ac Promotori Studiorum meorum, æterna observantia venerando.

Admodum Reverendo, atque Præclarissimo

DOMINO

DN. M. JOHANNI QVANDT,

Ecclesiæ Palæopolitanæ Diacono optime merenti,

Avunculo, & Præceptori maxime colendo, Benefactori æstimatissimo.

Primitias Academicas in sui, studiorumque suorum commendationem, cum voto felicitatis in Posteros usque propagandæ, submissè offert

Cultor observantissimus

JACOBUS CONCIUS.

§. XIII.

EX primâ ratione, haud difficili nexu, pro confirmandâ nostrâ sententiâ, *secunda* deducitur, & in exercitiô Regalium, seu jurium Majestatis robur suum figit. Notum est, Majestatem, veluti totum aliquod, in certas partes, quas Regalia, item jura majestatis, vulgò appellant dividi; quod exemplô Reipublicæ Lacedæmoniorum confirmat Aristot. L. V. Polit. c. XI. Quot ejusmodi jura majestatis numerari debeant, non conveniunt inter se Auctores, nec facilè convenire possunt, cum sæpe in eâdem Republicâ, lege, aut consuetudine ferente, regalia salutarentur, quæ antea talia habita non sunt, & contra; quemadmodum etiam in certis Rebusp. quædam Principum propria ducuntur, quæ alibi ad vulgares usus demittuntur, ut illud, *quod Reges Francorum, flavâ cerâ utuntur in sigillis. Nam extat in actis curiæ Parisiorum, Ludovicum XI Regem, id magni beneficii locô permisisse Renato, Neapoleos, ac Siciliæ Regi, ut flavâ cerâ uteretur*, quod perhibet Joh. Bodin. l. I. de Republ. c. X. circa finem. Similis huic fuit ritus Imperatorum Sinensium, à quibus characteris loco, color flavus, & imagines Draconum adhibebantur, quem si quis in proprios vertebat usus, ceu perduellis, pœnis plectebatur, nisi fortè Regiô sanguine prognatus esset. *conf. Athanas. Kircher. part. II. Chin. illustratæ c. IX. f. 114. P. Joh. Adam. Schall Histor. Relat. de Ortu, ac progressu fidei in Regno Chin. c. IV. & Prosper Intorcetta Catal. Prodig. apud Sinas n. XXVI.* Propter hanc diversitatem, diversus constitui solet numerus. Cellarius *L. II. Polit.* decem, Liebenthal *Exercit. VII. Colleg. Polit.* undecim, Heiderus *c. VI. Philos. Polit. p. 852.* viginti & novem recenset. vid. insuper *Læl. Zecchius L. 1. de Princip. administr. c. V. n. 8. Arnisæus l. II. de Jur. Majest. c. 1. Philipp. Hœnon. Disp. III. Polit.* §. 44. Reperiuntur quoque, qui infinita esse Majestatis jura

autumant. Hoc jam in medio relinquentes, id ulterius observamus, quod illud, in quô jura majestatis exercentur, imperii capax sit. Quid enim imperium aliud est, quam actus quidam Majestatis, per quem hæc vim suam exserit? Summa potestas, per quam Majestas definitur, summum imperii conficit gradum, sive illud in personas, sive in locos dirigatur. Quando enim Aristot. L. III. Polit. c. VI. naturam Majestatis explicaturus, ait: quod sit in civitate ubique summa potestas, per τὸ *ubiq;*, universalis Majestatis vis, per omnia loca diffusa intelligitur. Sub locis etiam maria comprehenduntur. In eis summam potestatem exerceri posse, quis dubitet? Observatio quippe multorum seculorum, docere quemlibet potest, non contentos fuisse homines, simplici maris occupatione, quam argumentô primô evicimus, sed præterea jura Majestatis in illô exserere cœpisse. In Turciâ aucupes ideò aves capiunt, ut eò honestius, acceptô scilicet pretiô, illas dimittere possint. Tunc enim emptores, videntes, eas lætas, & quandoque cantantes subvolare: Audin' dicunt, ut sibi gratulantur, & mihi gratias agunt. vid. *Auger. Gislen. Busbequius Epist. III. Legation. Turc. p. m. 207.* Idem Russos observare tradit *Olear. L. III. c. XXIX.* Non ita maris occupatio instituitur. Quæritur hæc, ut acquiratur, acquiritur, ne amplius ab aliis requiratur. Imo majori curâ quosdam mare occupatum tenuisse advertimus, quam terræ loca, quia illô obtentô, facilior ad ista panditur accessus. Non alia quippe primarum navigationum causa fuisse videtur, quam commerciorum & plura possidendi cupido. Indicant hoc passim scriptores. Thucydides antiquissimus post Herodotum Historicus sic scribit: *Non minimam, qui rebus navalibus studuerunt, sibi vim comparaverunt, vel pecuniarum reditu, vel aliorum dominatione. Quippe navigando Insulas subegerunt, & ii præcipuè, qui regionem non omnia suppeditantem habebant.* L. I. de Bello Peloponn. f. m. 7. Phœnices præ multis aliis, rei nauticæ gloriâ floruerunt. Quid

autem

autem eos movit, ut naves conſcenderent, & in exteras ſe conferrent regiones, quam diteſcendi ſtudium? Nec caruit eventu optatô ſpes. Cum enim Tarteſſum navigarent, tantam argenti vim, oleô, aliisque nauticis rebus commutârunt, ut nec capere naves, nec ferre poſſent. Quocirca cogebantur cum cœtera, quibus uſi erant, tum anchoras etiam ex argentô conflare, ut refert Ariſtot. L. de Mirabil. Auſcultat. Denique Propertius L. 3. Eleg. 7. de morte Poeti ſic canit:

Terra parum fuerat, terris adjecimus undas.
Fortunæ miſeras auximus arte vias.
Natura inſidians pontum ſubſtravit avaris.

Quô major ergò è navigatione redundat utilitas, eò firmius poſſeſſionem maris, ſtabilire conantur principes, nec facilè permittunt, ut in alienum dominium occupata plaga perveniat.

§. XIV.

Qualia verò inquies, ſunt jura illa Majeſtatis, quæ in mari exerceri queunt? Ad oculum patebunt, ſi ſigillatim, prout communi conſuetudine obſervantur, enumerentur. Primum igitur eſt *Jus Portuum.* Portus quid aliud eſt, quam porta, per quam in regiones, & urbes liber panditur tranſitus? Ita Caleti portum, Galliæ portam, appellare conſueverant Angliæ Reges, quô quamdiu potiebantur, tamdiu geſtare ſe è cingulô claves Galliæ dictabant vid. *Famian. Stradæ Dec. I. L. I. de Bellô Belgicô p. m. 24.* Jam inductione confirmari poteſt, Dominum portûs alicujus, habere poteſtatem intromittendi, & repellendi navem advenientem. Quoties quippe fieri ſolet, ut non admittantur, cujuslibet generis advenæ, ſed ſi præſertim diſſentiente Domino littoris, ingreſſum moliantur, abigantur? Julium Cæſarem Britanniam primò navibus aggredientem, vultu magis, quam animô amicô exceperunt incolæ, nec ſine inſigni jacturâ, portu, ac regione frui ipſi licuit *conf. L. IV. de B. Gallicô circa fin.*

Æneam cum navibus, & sociis, Evandri portui appropinquantem, Pallas filius aggreditur,

-- -- raptôque volat telô obvius ipse,
Et procul è tumulô Juvenes, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Quod genus? unde domo? pacem ne huc fertis, an arma?

Virgil. L. VIII. Æneid. Adeò proprium summæ potestatis est jus portuum, ut etiam barbaris illud integrum manere, voluerint aliquando Europæi. Nam cum Vascus di Gama, qui primus superatô promontoriô bonæ spei Indiam Portugallis aperuit, Calecutum delatus esset, duos nuncios in urbem misit, qui Regi, venisse se in eas oras significarent, & sine ejus veniâ, in terram nolle descendere. *Johan. Mariana L. XXVI. de Rebus Hispaniæ c. XVIII.* Secundum est *jus prohibendi transitum per mare.* Transitus ejusmodi non incommodè viæ publicæ comparatur. Quemadmodum autem transitus per viam publicam, haud rarò impediri potest, ita transitus per maritimos tractus institutus, accedente graviore causâ, sæpè inhibetur. Exercitium juris hujus, occasione oblatâ viguisse, ex historiâ discimus. Cum enim quædam Germanorum Respublicæ, hostibus Anglorum Hispanis, navibus frumento oneratis, subvenire voluissent, Elisabetha Regina Angliæ, non solum navibus his transitum impedivit, sed etiam easdem intercepit, negans eos amplius neutros esse, qui hostibus auxilia subministrant vid. *Jacob. August. Thuanus lib. XCVI. Histor. ad ann. 1589. f. m. 309.* Eandem hæc fovit mentem, quam habuit Amalassuntha Regina, ita ad Justinianum Imperatorem scribens: *Socius, & amicus, non is modò jure vocabitur, qui cum finitimis ad bellum gerendum fœdera junxerit, sed vel is quidem, qui bello sit necessaria visus subministrâsse.* Procop. L. 1. de bello Gothorum c. 3. Dicunt autem, verum hoc quidem esse de portubus, utpote qui angustiore tractu diffunduntur. Ergo ingredientes æqve, ac abeuntes in eis observari possunt.

sunt.

ſunt. Mare verò majori amplitudine extenſum, etiam lynceos fallit oculos. Imô etſi in unâ, vel pluribus partibus cuſtodiatur, în omnibus tamen ita fideliter ſervari nequit, ut nulli fallaciæ aliquis ſit locus. Reſp. Salva res eſt. Quanquam enim non ſemper, ejusmodi naves tranſeuntes, obſervari queant, ſufficit tamen, ſi tunc repellantur, quando clam irrepere velle intelliguntur. Neque paterfamilias, in domô furem, neque Princeps in territoriô, prædonem ſemper advertit, propterea verò non ſequitur, non habere ipſum jus, aditum intercludendi, vel ſi quis horum violenter irrumpat, penitus abigendi.

§. XV.

Sequitur tertiò *Jus piſcandi.* Quia enim certis in locis mare, tale piſcium nutrit genus, quod non ubique reperitur, edictô cavere ſolent Domini maris, ne citra eorum voluntatem, alicui id concedatur, quod ipſis vi imperii, quod obtinent, licet. Exercitium juris hujus, iterum apertô indiciô elucefcit. Fervet quotannis in mari Britannicô, piſcatio halecum. Britanni, ut Camdenus loquitur, honorem piſcandi ſibi reſervârunt, utilitate exteris reſignatâ. Inter eos Batavi, magnâ navium copiâ inſtructi confluunt, & poſt feſtum D. Johannis Baptiſtæ, operi ſe accingunt. Adveniunt tunc turmis, duce, in cujus capite ſignum, diademati haud abſimile hæret, ornatæ haleces, adeo ut ipſæ capiendas ſe offerant, & tantum non ut capiantur, exclament, quod refert *Ludov. Gvicciardin. Nobilis Florentinus part. 1. Deſcript. Belgicæ p. m. 40.* Edictô autem cavebatur, ſub Jacobô Rege, ne quis exterus in mari Anglicanô, vel Hibernicô, aut eô, quod cœteras regni Angliæ inſulas alluit, piſcaretur, veniâ prius per Legatos, ad hanc rem Londini conſtitutos non obtentâ, & quotannis novatâ. Hoc ſi qui neglexerant, velut dominii jus invadentes, capiebantur, & cuſtodiæ tradebantur, ſententiam, ob injuriam Anglo illatam expectaturi. *Joh. Selden. L. II. Maris clauſi c. XX.* De hôc eò magis Reges Angliæ erant ſoliciti, quò

frequentior piscantium nunc reperitur copia. Olim quippe parvis tantum navigiis, ad halecum capturam egrediebantur Hollandi, & halecibus, non nisi aut recens captis, aut fumô induratis utebantur; Sed cum circa annum 1416. Guilhelmus Beukeldius, primus Belgas rationem saliendi haleces edocuit, majores mox, & copiosiores, piscandi gratiâ solvebant naves, conf. *M. Zverii Boxhorn. Apologia pro Navigationibus Hollandorum, adversus Pontum Heuterum.* Quartò *jus retinendi ejectamenta maris.* Sic v.c. succinum, quod inter *ejectamenta maris* memorat Tacitus L. de Morib. German. c. 45. in Prussiâ terræ hujus Dominis tribuitur. In Angliâ, & Lusitaniâ balænæ, & alii pisces grandiores, non cujuslibet sunt occupantis, sed Regis, aut eorum quibus ille jus tale indulsit. Excipiuntur hic bona naufragorum, quæ in littore suô reperta, multi Principes, nihil obstante diversô aliorum more, restituere possessoribus consueverunt. Quintò *Jus Vectigalium.* Solvere scilicet tenentur, pro transitu liberô, & securitate, ex mercibus importatis, vel exportatis, pretium certum navigantes, quod secundum proportionem, augeri, vel minui, intendi, vel remitti solet. Observatio juris hujus antiquis jam viguit temporibus. Cleomenes Alexandrinus, Satrapes in Ægypto, cum fames in aliis locis esset magna, in Ægypto mediocris, præclusit frumenti exportandi licentiam. Præfecti regionum negabant se tributum posse solvere, si non liceret frumenta exportare. Tum ille, id quidem concessit, sed magnum frumento imposuit vectigal. Ita evenit, ut cum parum frumenti exportaretur, magnum vectigal accederet. *Arist. l. II. Oeconom.* Corinthios vectigalia à navigantibus exegisse, testatur *Strabo l. VIII. Geograph. f. 262.* Promptè hæc illi solvebant. Gratissimum enim Asiaticis, & Italicis mercatoribus erat, Maleam promontorium periculosum, de quô proverbium: *Cum ad Maleam deflexeris, domesticos obliviscere,* deserere, & Corinthum duorum portuum dominam posse

ſe tendere. Ex recentiori historiâ nominamus fretum Danicum, copiâ navigantium, & vectigalibus inclytum. In eô pro quolibet malô, nummum aureum, valore quatuor Imperiales æquantem, ſolvi, tradit *Lucas de Lindâ in Deſcript. Rerumpubl. p.m. 886.* Propter hoc telonium Rex Daniæ Claviger ferè navigationis, & mercaturæ Balthicæ audit. Et quamvis liberum tranſitum prætenderent Batavi, claves freti Danici Amſtelodami eſſe gloriantes, nihil tamen obtinere valuerunt, tandemque controverſia excitata, ita anno 1644 ſopiebatur, ut jus vectigalium pretio ad mediocritatem redactô, penes Danos maneret. leg. *Philipp. Andr. Oldenburg. part. II. Theſauri Rerump. Excerpt. de Regnô Daniæ §. XXI. p.m. 293.* Sextò, *Jus demiſſionis velorum.* Accidit ſæpius, ut naves, ſibi obviæ factæ, vela demittant, in quô quidem ſalutationis officium elucet, ordinariè tamen, indicium imperii, erga Dominum Maris conſtituitur. *Ad imperium in mari, multum facit velorum demiſſio, quæ ab omni ævô, ab omnibus gentibus introducta eſt,* inquit Claud. Barthol. Moriſot. L. II. Orb. Marit. c. XVIII. f. 461. Sic Angli morem hunc, inter antiquiſſimas Regni ſui prærogativas reponunt, nimirum ut velô demiſsô ab aliis colantur. *Naves fœderatarum Provinciarum, tam bellicæ, & ad hoſtium vim propulſandam instructæ, quam aliæ, quæ alicui è navibus bellicis Reipublicæ, in maribus Britannicis obviam venerint, vexillum ſuum è mali vertice detrahent, & ſupremum velum demittent,* legitur in Artic. Pacis inter Olivarium Cromvell, & Fœderat. Provincias anno 1654. d. 5. April. Weſtmonaſt. conditis num. XIII. Septimò, *Magiſtratus marini creatio.* Ritus hic, hiſtoriâ teſte, jam antiquis temporibus viguit. *M. Antonii fuit infinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ poteſtatem Senatus decreverat, ut prædones perſequeretur, ac mare omne pacaret,* inquit Lactant. L. I. qui eſt de falsâ Relig. c. XI. Idem adhuc ab illis, quorum navigationes in mari fervent, obſervatur. Præfectum maris, ſolent vulgò vocare *Admiralem*, quaſi *Admirabilem*,

bilem, ut vult Dapperus in Deſcript. Americæ f.46. ubi Chriſtophorum Columbum, propter detectum novum orbem, primò titulum hunc adeptum fuiſſe aſſerit. Longè antiquiorem tamen, eamque non Latinam, vocis illius eſſe originem, à Philologis perſuaſi ſumus. Si jam ea, quæ hactenus dicebantur, in unum colligamus cumulum, ita ſecunda ratio proferetur. In quôcunque jura Majeſtatis exerceri poſſunt, illud eſt capax proprietatis. Atqui in mari, jura Majeſtatis exerceri poſſunt. E.

§. XVI.

Tertium argumentum pro ſtabiliendô propriô maris dominiô ſequitur. Si terra eſt capax imperii proprii, & mare ejusdem capax eſſe poterit. Atqui verum eſt prius, E. & poſterius. Conſequentia deducitur à pari. Quemadmodum enim rectè dico. Si Sol ideo exiſtit, ut illuminet terram, idem de Lunâ dici debet. Si in ſocietate domeſticâ, major natu filius, imperio Patris ſubjicitur, & minorem lex talis ſtringit; eôdem modô argumentari mihi licet: Si terra dominii capax eſt, E. & mare. Sunt quippe hæc duo corpora, ita connexa, ut unum conſtituant globum, & præterea ad unum cum toto universô finem, hominem ſcilicet dirigantur. Nimirum artis & naturæ regula id exigit, ut inferiora ad ſuperiora ordinentur. Ita elementum ordinatur ad mixtum. In mixtis forma vegetativa, dirigitur ad ſenſitivam, & hæc ad rationalem, quæ utriusque perfectionem complectitur, veluti figura capacior minorem includit l. II. de animâ c. III. t. 31. In artibus quoque frenifactoria equeſtri, equeſtris militari ſubordinatur, vid. l. I. Eth. c. I. Cœterum terram hominum imperio comprehendi, quis niſi ex oppidô Cœcorum, aut familiâ Lepidorum, cœcutientium ferace, ortus, aſſerat? Haud obſcurè rationem iſtam inſinuare videtur Ariſtot. L. VII. Polit. c. VI. ubi controverſiam περὶ τῆς πρὸς τὴν θάλατταν κοινωνίας, i. e. de maris communione, jam ſuâ ætate magnam fuiſſe indicat. Diſputat ibi, num melius ſit, urbes mari eſſe

vici-

vicinas, nec ne. Prius affirmans, utile fore ait urbi, & agro, aliquod esse cum mari commercium, cum ad incolumitatem civitatis, ab omni injuriâ, & periculô tutam, tum ad facultatem, & copiam rerum necessariarum. Quis enim ignorat, quantum profuerit urbibus, si maris confiniô tangebantur? Solam hic nominemus Rupellam, munimentum olim in terrâ Santonum validissimum. Hærebat hoc patenti planitie ad Oceanum, in cujus faucibus, binæ ingentes turres erigebantur, tormentis in latera directis firmatæ, quæ vel minimas scaphas subeuntes, portu submovere poterant, catenâ utrinque ductâ, ingressum à mari prohibentes, vid. *Jacob. August. Thuanus libr. LV. ad ann. 1573. f. 1055.* Quod ad proprietatem maris attinet, utilissimum fore inquit Philosophus, classem, & copias navales habere, *Non enim sibi solum, sed etiam finitimis nonnullis opitulari posse, & formidolosos esse oportet, quemadmodum terrâ, ita & mari.* Quibus verbis potentiam, & imperium per mare æque ac terram exseri posse testatur.

§. XVII.

Habent verò dissentientes, quod adversus rationem nostram tertiam excipiant. Idem jus pro suâ sententiâ argumentandi, concedi sibi postulant. Ex terrâ, sumptis Icari alis, in aërem se attollentes, hoc telum ejaculantur. Si aër hominum imperio subjici nequit, E. neque mare. Atqui verum prius, E. & posterius. Resp. negando paritatem. Mare enim totum ab hominibus occupari potest. At aër totus occupari nequit, quicquid etiam haud pridem conatus fuerit P. Lana, qui de navigatione per aërem instituendâ solicitus erat, ipse tamen de successu desperat, quod Deus non videatur unquam permissurus, ut ejusmodi machina ipsô effectu succedat, propter incommoda multa, civilem gubernationem hominum turbatura. Quis enim non videt, nullam civitatem, ita securam ab expugnatione fore, cum quôvis tempore, navem directè supra ipsam statue-

re, demiſsâque ad terram exponere militem liceret? prout verba ejus exprimit *Joh. Christoph. Sturmius Colleg. Curios. Auctar. X. p. 105.* Vid. etiam *Philip. Lohmejeri Exercit. de artif. navig. per aërem.* Imo, annon riſui poſteritatis expoſuerunt ſe Pſylli, quibus cum omnia aquarum receptacula arefecerat auſter, prævið publicô conſiliô expeditionem adverſus eum ſuſceperunt: *Herodot. L. IV. f. 133.* Peccarunt hi contra objectum fortitudinis, quod non ſupra, ſed ſecundum hominem figitur. *L. 3. Ethic. c. 10. & L. 1. Magn. Moral. c. 21.* Porro etiam de antecedentis veritate dubitari meritò poteſt. Nonne quippe prohibere valet vicinus vicino, ne ædes altius tollat, ne luminibus officiat, quod quid aliud eſt, quam aeris ædibus contermini proprietate gaudere? Ita ergo certo reſpectu, aër quoq; hominum poteſtati ſubjicitur, ut exinde pateat, non prorſus admitti debere, quod ſcribit Theod. Grasvvinkel. c. XI. Vindic. Mar. Lib. p. 185. aeris dominium nulli unquam tributum eſſe, niſi Satanæ: Cui geminum ſit illud, quando inquiunt, terram filiis hominum concedi, mare ſolius Dei proprium manere.

§. XVIII.

Audivimus rationes, proprium maris dominium confirmantes, nunc teſtimonia, idem ſtabilientia allegabuntur. Si enim evicerimus, communi gentium conſenſu, mare occupari, & proprium reddi, haud mediocre ſententiæ noſtræ accedet momentum. Hoc ut commodè fiat, ab hiſtoriâ ſacrâ initium facimus. Ea luculenter teſtatur, quod adhuc in ſtatu integritatis, conceſſa fuerit primo homini, in piſces maris poteſtas. Etſi verò negari non poſſit, per mare ſæpius intelligi lacus, & flumina, nulla tamen impedit ratio, ut non aſſeratur, maris appellatione, hoc loco etiam mare propriè ſic dictum comprehendi, quandoquidem paulò ante, congregationes aquarum, *maria* indefinitè nominabantur. Porro quanquam & hoc largiamur, Adamum non occupâſſe unquam mare actu, diſtinguendum tamen

men erit inter dominium, & possessionem. Dominium expresse sibi indultum habuit, possessionem posteris suscipiendam reliquit. Quinam post diluvium primò mare actu occupaverint, ex S. Bibliis determinare firmiter non licet. Haud fugit nos, esse quosdam ex Veterum classe, qui divisionem Orbis inter filios à Noacho institutam esse senserunt. Tradidit hoc Epiphanius in Ancoratô circa fin. ubi refert, illum Orbe terrarum inter tres filios divisô, & certâ parte singulis assignatâ, nequa discordiæ procresceret seges, eos jurejurando adegisse, ne quis fratris sui sortem invaderet. Canaan nihilominus, relictâ regione, propter calores nimios incommodâ, occupavit in Semi sorte Palæstinam, ob quod crimen, Cananæis ad internecionem deletis, Palæstina seu Cananæa, Judæis Semi posteris, justô Dei judiciô fuit restituta. Philastrius traditionem de divisione Noachicâ, tam strenuè tuetur, ut secus sentientes, hæreticos vocare non recuset. *Sunt*, inquit hæres. LXX. *quidam hæretici, qui de divisione Orbis terræ, & partitione habitationis rectè non sentiunt, disputantes, quod Græci cœperint, aut Ægyptii, aut Persæ describere orbem terræ universum, non beatus Noë, suis filiis tribus, post diluvium diviserit, dederit, definierit, ac partierit.* Hæc si certa forent, conjicere aliquis posset, Noachum jure Adamo concesso usum, non terram tantum inter tres filios, sed etiam mare divisisse. Verum utut hæc opinio suos habeat defensores, mundum tamen ei assensum à nobis impetrare hactenus potuimus. Nam (1) de ejusmodi divisione orbis, inter tres filios à Nochô institutâ, neque vola, neque vestigium in sacris literis reperitur. Quid prodest autem hariolari, quando non licet ratiocinari? (2) Contrarium potius inde elucescit, quod Noachus benedicens Japhetho, precetur, ut habitet in tabernaculis Sem Gen. IX. v. 27. Si Japheth habitare debuit, in tabernaculis Semi, ubi manet severum Noachi mandatum, ne quis fratrum alterius sorti se immisceret? Aut ergo divisio inter tres fratres

 contigit

contigit ante, aut post istam benedictionem. Non ante eam, quia nefas credere, Noachum adeò immemorem fuisse, ut contrariam factæ divisioni proferret benedictionem. Non post illam, quia iterum nefas credere, virum hunc sanctum adeo affectibus indulsisse, ut contrariam factæ benedictioni institueret divisionem. E. planè non contigit. (3) Si posteri Semi, i.e. Israelitæ, jam actu, vi distributionis Noachicæ, possederunt terram sanctam, aut minimum possidendæ jus habuerunt, Deus illam ipsis non tam donâsse, quam restituisse videretur, cum tamen contrarium testetur S. Codex, nempe magni beneficii loco, terram promissionis Judæis à Deô fuisse tributam. (4) Quomodo distributio totius orbis peragi potuit, quando exigua orbis portio tantum fuit cognita? Hoc equidem conceditur, successu temporis, posteros cujuslibet horum filiorum, certas orbis partes occupâsse; ita ut posteri Japhethi Europæ, posteri Chami Africæ, posteri Semi Asiæ potiora loca, confinibus vel intermediis provinciis modò ab his, modò ab illis possessis, tenuerint; prout hanc Noachicæ propaginis successivam occupationem peculiari tabellâ exhibet Philipp. Brietius part. I. parallel. Gregor. Vet. & Nov. Lib. V. c. 4. sed quod Noachus ipse talem distributionem sorte instituerit, probari evidenter nequit. (4) Diligentissimus rerum Judaicarum scriptor Josephus, talis sortitionis non meminit, sed hoc tantum memorat, quod tres filii Noachi diluvio erepti, antea ipsi quoque in montibus latitantes, aliis postmodum auctores, suasoresque fuerint, ut non amplius metu novæ cladis, in montibus delitescerent, sed ad terram colendam, in planitiem se conferrent L. I. Antiquit. Judaic. c. V. Et igitur historia sacra, non expresse significet, quis inter homines primus, & quô tempore mare occupaverit, reperiuntur tamen testimonia manifesta, quæ mare dominio occupatum fuisse ostendunt.

§. XIX.

§. XIX.

Primò, cum Moses moriturus, singulis tribubus Israelis benedixisset, ad tribum Naphthali perveniens, sic fatur. *Naphthali abundantiâ perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini, mare, & meridiem possidebit*, Deuter. XXXIII. 23. Porro Ezechiel Propheta, de excidiô Tyri vaticinans hæc habet. *Et descendent de sedibus suis, omnes* Principes maris, *& auferent exuvias suas, & vestimenta sua varia abjicient, & induentur lugubribus, in terrâ sedebunt, & attoniti super repentinô casu tuô admirabuntur. Et assumentes super te lamentum, dicent tibi. Quomodo periisti, quæ* habitas in mari, *urbs inclyta, quæ fuisti* fortis in mari *habitatoribus tuis, quos formidabant universi* c. XXVI. 16. & 17. Ac ne quis putet, Tyrios exiguas, & littori adjacētes maris particulas possedisse, clarius exprimit Propheta cap. XXVII. v. 4. dicens: בלב ימים גבוליך *In corde*, i.e. in mediô *maris sunt termini tui*, vel ut Tremellius, ac Junius reddunt. *In intimâ parte marium termini tui.* Ulterius Israelitarum regioni, terminus occidentalis constituebatur mare magnum, quod non aliud est, quam mare mediterraneum. Ita de hôc terminô Deus per Mosen. *Terminus occidentalis, sit vobis mare magnum, & terminus ejus, idem vobis erit terminus occidentalis.* Num. XXXIV. v. 7. Cum autem usitatum sit, ut gens, quæ littus possidet, etiam certâ maris portione gaudeat, haud difficulter concluditur, Judæos partem aliquam maris mediterranei obtinuisse. De terminis hujus duæ foventur opiniones. Una est eorum, qui vastos marino Judæorum dominio assignant limites; Altera illorum, qui amplos quidem, sed angustiores constituunt fines. In terminô Australi, & Septentrionali conveniunt, in occidentali, & sic in assignandâ areæ amplitudine discrepant. Prior sententia, unum funiculum, à monte Amano, in mare mediterraneum, & alterum funiculum, à Nili Pelusiaco ostio, in idem mare duci postulans, termino Palæstinæ occidentali, id omne, quicquid sive

maris,sive Insularum, intra hos funiculos deprehenderetur, assignat. Posterior, eaq; multo probabilior, à promontorio Amano, usq; ad ostium Pelusiacum, unum tantum funiculum duci suadet, eôq; terminum Palæstinæ occidentalem determinat. Non obstat (α) quod aliquoties in historia sacra, terminus Judææ, usq; ad mare fuisse dicatur, quia τὸ *usq,* sæpe dictio fit inclusiva, ut ostendit Joh. Selden. L.1. de mari clauso c. VI, ubi duas has opiniones prolixè ex Pandectis JCtorum Hebræorum derivat, posteriorem potiorem esse asserens. Neq; (β) illud quidpiam impedit, quando opponitur, quod Ebræi navigandi peritiâ caruerint, frustraque imperium maris ipsis fuerit concessum. Nam etsi dicatur, eos sibi relictos, imperitiâ navigationis viluisse, forsan tamen ab aliis, ac inprimis Tyriis, vel Ægyptiis eandem deinceps addidicerunt. Manifestum hujus rei fit documentum, quod Salomon Pharaonis gener, in tantam celebritatem extulerit navigationem, ut novas terras, antea vel rarò, vel nunquam tentatas adierit. Nec (γ) istud obstat, quod Strabo Judæam mediterraneis locis annumeret, sic scribens: *Mediterranea ultra hanc* (i.e. Phœniciam) *usq, in Arabes inter Gazam, & Anti Libanum, Judæa nominatur.* L.XVI. Geogr. f.m. 514. Josephus quoque L.1. contra Appionem hæc habet: *Nos neque regionem maritimam habitamus, neq, mercimoniis gaudemus — Sed nostræ civitates, procul à mari sitæ sunt.* Resp. varia ex S. Codice allegata loca, satis superque ostendere possunt, terminum occidentalem Israelitis, mare mediterraneum concessum fuisse. Quando Scriptores de Judæâ loquuntur, ambiguè voce eâ uti solent. Judæa enim aliquando sumitur pro eâ regione, quam tribus Judæ possedit, cujus Metropolis erat Hierosolyma, comprehensis insuper vicinarum tribuum partibus. Hæc mediterranea historicis citatis dicitur. Deinde, in latiori significatione Judæa denotat totum terræ tractum, inter 12. populi Israel tribus distributum. Complecte-

plectebatur hic Idumæam, Judæam (propriè dictam) Samariam, Galilæam, & regionem trans Jordanem, quam Palæstinæ partitionem allegat celebris Anglus Joh. Ligtfoot in Centur. Chorograph. Matthæo præmissa c. III. In hâc significatione acceptam Judæam mari fuisse vicinam, etiam objecti nobis Scriptores fatentur. Strabo paulo post de Joppe urbe maritimâ loquens, inquit: *Atqui & Judæi portu hoc utuntur, usq; ad mare ascendentes.* Multò clarius Josephus L. III. de bellô Judaico c. II. sic scribens: *Sed nec marinis quidem Judæa deliciis caret, ad Ptolemaidem usq; locis extenta maritimis.* Dion insuper Lib. XXXVII. anno U. C. 691. de Palæstinâ differens, sic fatur: *Ita universa ea gens vocabatur, quæ se à Phœniciâ usque ad Ægyptum,* juxta mare mediterraneum *extendit. -- Regio ipsa Judæa, gens Judæi appellantur.* Distingui quoque debent tempora. Post captivitatem Babylonicam (quo tempore Strabo, & Josephus floruerunt) limites, & potentiam Judæorum arctata fuisse, vel ex hoc solo colligitur, quod Salomon, juxta promissionem Abrahæ, à Deo *Genes. XV. 18.* factam, Dominus fuerit super cunctos Reges, ab aquis (Euphratis) usque ad terram Philistæorum, & usque ad terminos Ægypti, *I. Reg. IV. 21.* & *II. Paralip. c. IX. 26.* Ex his concluditur, Judæos, mari mediterraneo vicinos, imperium in insigni ejus parte exercuisse.

§. XX.

Exspatiemur jam in historiam profanam, ut ex eâ imperii marini documenta fœneremur. Longâ serie passim à scriptoribus veteribus æque ac recentioribus colliguntur. Spicilegiô, in tantâ messe opus erit. Omittetur ætas fabulosa, ex quâ allegari posset Neptunus, cui sorte, maritima omnia cum insulis obvenerunt *Lactant. L. I. qui est de falsâ Relig. c. II.* Digna potius sunt, quæ huc transscribantur Maximi Tyrii verba, ex Serm. XL, qui de scientiâ agit desumpta. Ita enim occasionem, & progressum navigationis depingit. *Hominum primi, qui nunquam*

quam viderant navem, externorum commercia adamantes, utilitatis, stimulis acti, cum circumscriptos se cernerent à mari, nantem viderunt avem, ex aëre delapsam. Viderunt præterea ponderosum aliquod corpus, leviter super aquas deferri, aut arborem, quam fluvius traxisset. Forte etiam aut aliquis (ut fert casus) cum mergeretur invitus, ac cogeretur membra jactare, eorum artificio enatavit, aut etiam libens, ludensq; natationem tentavit. Hos singulos casus peritia colligens, atq; horum collectione navigationem meditatus primum ineptum aliquod, atq; informe vehiculum construxit, è materiâ levi, ut est ratium forma, ex colligatis permultis lignis rudibus compactum. Paulo post sensus adjunctâ ratiocinatione, procedens, ac sapientior effectus, vehiculum cavum invenit, quod impelleretur à remis, velisq; suspensum ferretur à ventis, temone ad rectitudinem cursus regeretur. Cum ergo à cymbis ad naves progrederentur homines, non amplius circa littora hærebant, sed ipsi profundo se commiserunt. Minos Cretensis, & Polycrates Samius, inter primos maris dominos numerantur. De Minoë hæc habet Strabo L. X. Geograph. f. m. 335. *Literis proditum est, Minoëm solertissimum Legislatorem extitisse, primumq; maris imperium vendicâsse.* Eâ occasione Cretenses tantam in mari nacti sunt potentiam, ut proverbiò dictum sit de illo, qui rem probè notam dissimulat. *Scilicet Cretensis mare ignorat,* quò respiciens Seneca ita canit in Hippolytô act. I.

O magna vasti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne littus innumera rates
Tenuere Pontum, quicquid Assyria tenus
Tellure Nereus pervium rostris secat.

De Polycrate Herodotus L. III. f. m. 100. sic scribit: *Polycrates primus extitit Græcorum, duntaxat eorum quos novimus, secundum Minoëm, & si quis alius isto prior, maris imperio potitus est, qui in animum induxerit, ut mari potiretur.* Ex populis & Civitatibus,

vitatibus, Corinthios, Jones, & Samios, maris dominiô inclaruisse, memorat *Thucydid. L. I. de Bello Peloponnes. f. m. 7.* De Tyriis Sext. Pomp. Festus, in voce Tyria ita fatur: *Tyria maria*, in proverbium deducuntur, quod Tyrô oriundi Pœni, adeò potentes maris fuerunt, ut omnibus mortalibus navigatio esset periculosa. Porrò Lydos, Pelasgos, Thraces, Rhodios, Phryges, Cyprios, Phœnices, Ægyptios, Milesios, Cares, Lesbios, Phocæenses, Naxios, Eretrienses, & Ægiretas maris dominium tenuisse, ex Eusebii Chronico, aliisque probatis Scriptoribus ostendi potest. Carthaginenses dominio maris polluisse testatur Florus his verbis. *Pudebat nobilem populum, ablatô mari, raptis insulis, dare tributa, quæ jubere consveverat.* L. II. de Gestis Roman. c. VI. ab init. De Româ Dionys. Halicarnass. L. I. hæc perhibet. *Universi maris Domina est, non solum illius, quod intra columnas Herculis habetur, verùm & ipsius Oceani, quicunque est navigabilis.* In ProConsulis Asiæ insignibus olim trium mulierum imagines depingebantur, quarum una Asiam, secunda Insulas, tertia Hellespontum referebat, quô ipsô dominium maris significabatur. Inde fluxit mos, ut aquam, & terram poscerent, qui dominium gentis alicujus affectabant.

§. XXI.

Nunc ad recentioris ævi statum, consideratio se convertat. Hoc enim alia inter objicitur, non posse imperium maris, in hodiernâ regnorum, & Rerumpublicarum constitutione ostendi, quod etsi concederetur, nondum sequitur, mare dominii proprii non esse capax. Nam quamvis fortè terra incognita australis, nullius sit subjecta imperio, propterea certè concludi nequit, eam propriô non posse astringi dominiô. Sufficit autem, quod probare queamus, vindicare sibi quosdam imperium in mare sinuosum, & in mare vastum, eorumque nonnullos illud actu exercere. Inter Dominos maris sinuosi, primum merentur, vel sanè non ultimum locum Veneti, quorum ur-

 bem,

bem, & potentiam in mari, sic depinxit Jacobus Sannazarius:

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toti ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpeias quantumvis Jupiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tyberim præfers, urbem aspice utramque.
Illam homines dicas, hanc posuisse Deos.

Versus hos sexcentis aureis Poëtæ pensatos fuisse, memorat *Drexel. part. III. Aurifod. c. 1.* Judicium dominii hujus, quotannis festô Ascensionis exhibent. Dux tunc Venetorum, cum Legatis Principum, & Senatu, in mare provectus, annulô aureô injectô, illud Reipublicæ solenni ritu desponsat, inquiens. *Desponsamus te mare, in signum veri, & perpetui Dominii.* Quod Moschorum Dux, sibi dominium in mare album arroget, inde colligitur, quia Elisabetha Regina Angliæ, Privilegium à Basilide consequebatur, ut sola Anglica natio, merces in Moscoviam Septentrionalem adveheret, *Camden. in Annalib. Elisab. ad ann. cIↄ Iↄ LXVII. p. 126.* Ipsi Angli, ut dominium in mare, penes se esse ostenderent, monetam anno M DC LXV. cudi jusserunt, quæ imaginem Magnæ Britanniæ referebat, cum inscriptione: *Quatuor maria vindico.* De Gallorum potentiâ maritimâ recentioris ætatis vid. *Martinus Schokius de Imper. marit. c. VIII.* de Hispanis *c. X.* de Portugallis *c. XI.* de Danis *c. XII.* de Suecis *c. XIII.* Turca quoque Dominum se dicit maris Ægei, & Pontici *Morisot. L. II. Orb. Marit. c. XIX.* Idem *c. 32.* testatur Sinenses tantas in mari habere vires, ut intra quatriduum sexcenta bellicorum navigiorum cogere possint. Ibidem de Indorum, Persarum, & Æthiopum potentiâ in mari agit. Quod ad Oceanum, ex utrâque parte Americæ vastô tractu diffusum, attinet, & eum in se spectatum, dominii proprii, sive unius, sive plurium capacem esse statuimus. Verum dominium hoc nondum talibus definiri

definiri potuit terminis, ut nulla de eis remaneret controversia. Veteres Americæ incolæ, ante adventum Hispanorum in eâ viventes, non adeò navigationis erant periti, ut dominium in mari exercere potuerint. Hispani in eam delati, cum inventionis jure (quod, quid nisi injuria?) novum orbem prætenderent, universale insuper in mari dominium obtinuissent, nisi tria præcipua impedimenta illis obstitissent. Unum erat luxuria, & crudelitas Hispanorum. Cum hi primo in detectum Orbem pervenirent, incolæ cœlitus delapsos credebant, illosque filios nubium esse, qui per tormenta sua bellica, tonitrua edant, existimabant, omnesque se ultro Hispanis, quos Deos esse sibi persuadebant, tradidissent, nisi ipsi vitæ improbitate, & immodicâ auri cupidine, omnem divinitatis opinionem à se amovissent. Quapropter incolæ, cogebantur in montes se recipere, & strenuâ defensione, imperium Hispanorum in mari, ac terrâ impedire, vid. *Thom. Campanellæ Discurs. de Monarch. Hispan. c. XXXI. p. m. 417.* Alterum fuit æmulatio Portugallorum. Cum namque eôdem ferè tempore, quô Portugalli novum circa Africam iter, in Indiam Orientalem aperuerunt; Hispani Americam invenirent, haud mediocris contentio, de distinctione dominiorum agitari cœpit. Lusitanus urgebat, sibi soli, veniâ Eugenii quarti Pontificis Romani explorationem novi orbis deberi. Hispanus ad Alexandri VI. diploma provocabat. Hic enim anno 1493. verbis styli sedi Romanæ proprii, *motu propriô, de merâ liberalitate, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ sedis plenitudine*, controversiam sic decidit, ut lineâ centum ultra insulas Hesperides leucas, per utrumque cœli cardinem cogitatione descriptâ, pars versus Orientem sita, Johanni Lusitano, occidua Ferdinando Catholico destinaretur. Mox novô diplomate terminum hunc correxit, trecentis & septuaginta leucis, versus occidentem eum promovens, ut Brasilia Lusitanis, cui isti inhiabant, concederetur. Et illas quidem hâc ratione obtinue-

runt; ſed meliorem Braſiliâ Indiæ Orientalis partem, in quâ Inſulæ Moluccæ hærent, magnô ſuô cum damno amiſerunt, poſtquam Ferdinandus Magellanus, propter ſtipendium denegatum, odiô adverſus Regem ſuum Emmanuelem concitatus, novum fretô inventô aperuit tranſitum Conſ. *Joh. Mariana L. XXVI. de Rebus Hiſpan. c. III.* Interim etſi haud ſatis fixi, atque firmi ſint iſti termini, titulis tamen ſuis uterque Rex quædam dominium maris ſpirantia inſerit. Sic in titulo Philippi IV. Regis Hiſpan. legitur. *Rex Inſularum, & terræ firmæ maris Oceani*, & in titulo Regis Portugalliæ. *Alphonſus Rex citerioris, & ulterioris lateris Oceani Africani.* Tertium erat ſocietas Americana Mercatorum Bataviæ, quæ non parum potentiam Hiſpanorum in mari fregit, cum cogatur ſemper metuere Hiſpanus, ne claſſem ejus intercipiant Batavi, quam ob cauſam etiam iniquiſſimam pacem cum Hollandis inire ſolet leg: *Herm. Conring. part. 1. Theſ. Rerump. Tit. 1. de Reg. Hiſp. n. XLI.* qui inſuper n. XLII. obſervat, quod totum mare pacificum, maximè Hiſpan. potentiæ ſit obnoxium, quia Aſiatici non valent claſſe, Batavi quoque tantum in Indiâ Orientali occupaverunt, ut ſolâ defenſione contenti eſſe poſſint, neque facilè propter obſtantem ventum, claſſem ex Aſiâ in Americam mittere valeant.

§. XXII.

Quæreret hic aliquis, quâ ratione reges, vel populi memorati, imperium in mare ſibi acquiſiverint? opus ergo erit, ut modi aliquot acquirendi dominii ejus recitentur. Primus eorum eſt occupatio. v.c. Migret populus aliquis, mari certo vicinus, eique imperans, in alium locum, ſuccedat illi alia gens, quod antiquioribus ſeculis ſæpe factum eſſe, hiſtoria abundè docet; mare iſtud pro derelicto habetur, ergò occupatur ab eô populô, juxta illud: Quod nullius eſt, fit occupantis. Sic Veneti, mare Hadriaticum ab Imperatore Conſtantinopolitano deſertum, ab Imperatore Occidentali nunquam poſſeſſum, occupâſſe

pâſſe ſe aſſerunt. Jul. Pacius de Dominio Maris Hadriatici p.m. 18. Item: inveniatur in terrâ incognitâ regio ampla, hominibusque vacua, quam mare ingens alluat; Ingrediantur eam novi incolæ, qui certè occupare poterunt mare, in hôc caſu liberum, quia nullius proprietati obnoxium. Secundus, præſcriptio longi temporis, ad quam nonnulli viginti, nonnulli triginta, alii plures, alii pauciores annos requirunt. Ita, ſi quis rurſus Venetos interroget, quô jure dominium in mare Hadriaticum exerceant, ad præſcriptionem longiſſimi temporis, cujus initii non ſit memoria, provocant, *Jul. Pacius l. c. p. 17.* Cumque Alex. VI. Papa, quæreret ex Hieronymo Donato, Legato Venetorum, quô jure Veneti, dominium maris Hadriatici tuerentur, reſpondit Legatus: oſtendat mihi veſtra ſanctitas, inſtrumentum donationis Conſtantini Magni, (quô dominium regionis in Italiâ, quam poſſident, conceſſum ſibi eſſe gloriantur Pontifices) versâ paginâ, exhibebo jus Venetorum, in mare Hadriaticum: *Lanſius Orat. contra Ital.* Tertius modus acquirendi dominii in mare, eſt poſſeſſio jure belli impetrata. Sic Lacedæmonii Corcyrâ amiſsâ, ſuâ ſponte Athenienſibus imperii maritimi principatum conceſſerunt, pacemque his legibus conſtituerunt, ut Athenienſes mari duces eſſent, *Cornel. Nepos in Vitâ Timothei.* Romani quoq; Carthagine deletâ, imperium in mare obtinuerunt *Florus L. II. de geſtis Roman. c. VI.* Quartus, occupatio propter vicinam continentem. Sit aliquis Dominus legitimus certæ regionis, jure ipſi accedet portio aliqua, maris adjacentis, niſi hæc jam ſpeciali modo, alterius ditioni fuerit annumerata. Quousque ſe jurisdictio, propter vicinam continentem extendere debeat, cum ex jure naturæ & gentium, decerni non posſit, ad privatum hominum inſtitutum recurritur, juxta §. XI. Diſput. prioris. Conſervabitur inſuper acquiſitum his modis, in mare imperium, ſi mare crebrò claſſibus ſternatur, ſi magiſtratus illius curam gerens creetur, ſi in portubus, & fretis vectigalia

galia exigantur, si ii qui nolunt agnoscere imperium hoc punian-tur. Thomas Campanella Discurs. de Monarch. Hisp. c. XXXII putat ad retinendum orbem novum in fide, opus esse, ut complures urbes ligneæ fabricentur, inque mare deducantur, quæ mercibus onustæ, ultro citroque commeent, impediantque Anglos, & alios, ne idem facere conentur. Res quidem difficultate non careret, interim historia Sinensis testatur, ibidem pagos, & urbes natatiles, interdum ducentis familiis plenas, in mari, & fluminibus reperiri.

§. XXIII.

Ab armis ad clypeum jam nos convertentes, enumeratis præcipuis rationibus, thesin veram confirmantibus, contrarias solvemus. Primum argumentum §. IV. expositum, robore à naturæ petitô, mare liberum esse, vult evincere. Urget illud Ferdinand. Vasquius part. I. Contr. Illustr. L. II. c. LXXXIX. n. 30. Verum Resp. negando majorem Propositionem, si sine ullâ proferatur distinctione. Hoc ut percipiatur, notari debet, non ejusdem omnia esse generis, quæ instinctu naturæ fiunt. Quædam enim jus naturæ præcipit, ut neminem lædere, suum cuique tribuere; Quædam permittit, ut navigare, servum manumittere, emere, vendere, quo sensu in *præceptivum*, & *permissivum* distingui solet. Dictamen quoque juris naturæ, aliud est *absolutum*, quod nullam exceptionem patitur, aliud *hypotheticum*, quod certis conditionibus astringitur. Jam si major simpliciter acciperetur, instantiis foret obnoxia. Unam, à venationibus desumptam, largiatur nobis ipse Grotius, cujus verba ex L. II. de Jure Belli & Pacis c. II. §. 5. desumpta hæc sunt. *Non obstat, quod sæpe in jure Romanô legimus, jure naturæ, aut gentium liberum esse, animalia venari. Hoc enim verum est, quamdiu lex civilis nulla intercedit. -- Cum autem lex civilis aliud constituit, eam observari debere, jus ipsum naturæ dictat. Lex enim civilis, quanquam nihil potest præcipere, quod jus naturæ*

præ-

prohibet, aut prohibere, quod præcipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare, quod naturaliter licebat. Si probationem majoris, inque eâ contentam regulam, *jus naturæ est immutabile* contempleris, hæc non nisi de præceptivô jure naturæ intelligi debet. Alias id, quod est juris naturæ permissivi, mutationi etiam sit obnoxium. Simile quoque à numeris multiplicatis petitum, non alii, quam memorato juri convenit, cùm permissivum, utpote variis circumstantiis particularibus astrictum, cum iis conferri nequeat. Ita limitatâ majore Propositione, negabitur minor, quod nempe libertas maris, jure naturæ præcipiente, & imperante hominibus omnibus suadeatur. Ad probationem minoris Resp. negari non posse, quod jus naturæ libertatem concedat genti cuilibet, gentem quamlibet aliam, quâcunque velit viâ adeundi, & cnm eâ negotiandi. Prolixè hoc inculcat Aristot. L. I. Polit. c. VIII. & IX. nempe quod detur aliqua species quæstûs secundum naturam. Nimirum, quia non omnis tellus fert omnia, viâ naturæ, omni populo licet, ad sublevandam suam inopiam, ab aliô auxilium, & defectûs sui supplementum petere. Unde Philosophus citatô c. IX. μεταβλητικὴν seu permutandi rationem, à natura εἰς ἀναπλήρωσιν τῆς κατὰ φύσιν αὐταρκείας, i. e. in supplementum naturæ consentaneæ sufficientis copiæ institutam esse affirmat. Fieri tamen ejusmodi negotiatio debet cæteris paribus, i. e. accedente voluntate, ac suffragiô illius, cui subjicitur territorium. Alias sequeretur, eandem naturam, quæ libertatem mercandi indulget, ad injuriam Domino territorii inferendam impellere, quod inconveniens foret. Natura concedit libertatem mercimoniorum, ast non confert jus dominii in loca, in quibus mercimonia exercentur. E. g. Permittitur Gallis libertas, transeundi fretum Danicum, à Rege Daniæ; sed transitus hic, nullum jus proprietatis eis confert. Rectè quoque hanc mercandi libertatem restringit Aristoteles, ut legibus definiri moneat, quos populos

non

non oporteat, & quos oporteat inter se commisceri Lib.VII.Politic. c.VI. Examinemus nunc paucis allegata indicia. Qui ad flatum ventorum provocant, non causam pro causâ assumunt. Venti transitum unius gentis ad alteram commendant, at neutiquam commune imperandi jus conciliant: alias diversô flante ventô, diversum terra quævis impetraret dominum. Transitum quandoque jure impediri posse, ratio sana dictat, scilicet si ille Domino loci damnum parit. Si enim quilibet transitus, simpliciter foret liber, etiam hostes ubique jure transitum possent prætendere. Exemplum Israelitarum, tanquam particulare, conclusionem universalem non efficit. Dei mandato, non propriô motu, bella tunc gessit populus Israel. Adhæc non tantum propter transitum denegatum, sed propter alias causas Amoreos populus Israel invadebat. Egressi quippe erant Amorei, cum suô exercitu, extra suas ditiones, & insultârant populo Israel, ut colligitur ex L. Judic. c. XI. v. 20. confer. Magni nostri Gerhardi Tom.VI. L. Theolog. de Magistr. Politic. §.411. Pergit Grotius cap. 1. de Mari libero inquiens: *Nullus titulus Christianis quondam in Saracenos magis placuit, quam quod per illos terræ Judææ aditu arcerentur.* Expeditionem hanc Sec. XI. susceptam fuisse constat, quô tempore Godofridus Bulionæus, Princeps Lotharingiæ, vendito ducatu paterno, cum fratribus Balduino, & Eustachiô, quibus se deinceps plures Europæi Principes, cum magnô exercitu junxerunt, terram sanctam è manibus infidelium eripere, & Christianæ Reipublicæ limites protendere, forti animô aggrediebatur vid. D. Philippi Loniceri Chronicon Turcic. Tom.I. p.m.15. Quid tamen hæc ad præsentem Controversiam? Ut enim sileamus, expeditiones Veterum Christianorum, ex Europa ad recuperandam Palæstinam institutas, tanquam injustas, & inutiles à quibusdam reprehendi, illud historia docet, non de liberô dominiô, sed pro possessione propriâ tunc dimicatum fuisse, quemadmodum etiam memo-

ratus

ratus Godofredus Bulioneus, ejectis Saracenis, Hierosolymâ potitus, primus Rex Hierosolymorum declarabatur, solenniq; introductus ritu, spineâ exemplô Christi, non aureâ coronâ ornari voluit. Quomodo ergo expeditio hæc, pro confirmandô liberô transitu, & liberô in mari dominiô allegari potuit? Bellum Hispanorum contra Americanos, ad quòd porrò provocant maris liberi defensores, injustitiæ notâ non caret. Non aliud jus habebant Hispani in Americanos, quam hi in illos. Prætendebant quidem Hispani jus primæ inventionis, quod verò nulli dominium conferre valet. Quid si enim Americani prius pervenissent ad Hispanos, num ideò regno eos exuendi potestatem habuissent? Perinde hoc foret, ac si primi Typographiæ inventores, alios ab ejus usu excludere conarentur. Frustra quoque nominant jus donationis factæ à Pontifice Romanô, ex plenitudine sedis Apostolicæ, quasi verò sedes illa, ipsa debili fulcro nixa, incolas avitâ sede exturbare, & quod non habet, absurdâ liberalitate aliis donare possit.

§. XXIV.

In *secundâ* ratione §. V. expressâ, illud quidem conceditur, quod ad dominium, distinctio finium, & limitum requiratur; Sic Hispaniam à Galliâ montes Pyrenæi, & hanc ab Italiâ Alpes dirimunt. Murus Sinensis, Tatariam ab Imperiô Sinarum distingvit. Sed hoc prorsus negatur, quod mare terminis nequeat definiri. Nam scopuli, insulæ, promontoria, littora, gradus longitudinis, & latitudinis, quibus tanquam terminis, non solum terram, & mare, sed etiam cœlum ipsum vincire solent Mathematici, limitum instar diversa maris loca indicant. Neque de naturâ termini est, ut sit ens reale, sed sufficit, si sit notus, neque opus, ut sensu, sed sufficit, ut ratione concipiatur. Excipit Grotius c.V. de Mari libero; *Si hoc recipitur, jamdudum nobis Geometræ terras, Astronomi etiam cœlum eriperent.* Respondet ipsi Strauchius c. II. de Imp. Maris. *Mirum, si eâdem*

ratione veritus non fuit Grotius, ne sutor pedem illi suum, sarcinator etiam ventrem eriperet, mensuram integumentorum, pro modô corporis sumentes. Quando objicitur, limites dominii terreni per milliaria vulgò describi, quæ non facilè in mari ostendi queant, Resp. posse nihilominus milliaria in mari, secundum rationem determinari. Nam quis non differentiam inter 10, & 20. milliaria, etiam in ipsô Oceanô cognoscat? Hinc accidit, ut inter articulos Pacis suæ Cromvellus cum Belgis fœdus inierit, ut omni piscatu, intra decimum ab Angliâ milliare abstinerent; D. Becmann. Meditat. Polit. c. VI. §. XI. Porro populus aliquis valet decernere, ut non liceat alteri populo, ultra lineam æquinoctialem, Tropicum Cancri, vel Capricorni in mari progredi E. mare potest terminis definiri. Ipse Deus hoc testatur, quando ait: *Circumdedi illud* (mare) *terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi. Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Job. XXXVIII. 10. & 11. Reperiuntur insuper certa in mari signa, ex quibus nautæ colligere solent, quô in locô versentur. In Oceano non procul à promontorio bonæ spei, cernuntur fluitantes multi arundinei frutices, insigni crassitie. Nautæ Lusitanicâ lingvâ vocant Trombas, & conspectis eis concludunt, quod vel vicini sint promontorio bonæ spei, vel illud jam superaverint, teste Varenio Lib. I. Geograph. General. c. XIII. Propos. 16. ubi plura talia documenta profert. Cæterum superfluè de fluxu rerum philosophantur dissentientes, hôc ipsô à veterum quorundam errore non multum recedentes. Fuit autem aliquorum inter eos opinio, res omnes in mundo perpetuæ mutationi esse obnoxias. Socrates apud Platonem in Cratylô circa fin. sic fatur. *Nunquid possibile est, aliquid rectè denominare, si subterfugit, ac primò quid illud sit, deinde quale sit dicere? vel necessarium est, dum loquimur, aliud ipsum statim fieri, jugiterque diffugere, nec tale amplius esse?* Respondet Cratylus: *Necessarium est.* Refert idem de

Cra-

Cratylô Ariſtot. L. IV. Metaph. c. V. quod nihil putaverit dici oportere, ſed ſolum digitum moverit, & Heraclitum, quod bis dixiſſet, in eundem fluvium non eſſe intrandum, reprehenderit. Ipſe enim exiſtimabat, ne ſemel quidem. Plato putavit, quod res eadem, ne duo quidem minima tempora ſuſtineat, neque bis judicari admittat, ut dicebat etiam Aſclepiades, propter velocitatem fluxus Sextus Empiric. adverſus Mathemat. f.m. 185. Seneca inſuper, fluxum hunc ita adumbravit Epiſt. LIX. *Quæcunq; videmus, ac tangimus, Plato in illis non numerat, quæ eſſe propriè putat: fluunt enim, & aſſiduâ diminutione, atq; adjectione ſunt. Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, qui fuit juvenis. Nemo eſt mane, qui fuit pridiè. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. Quicquid vides, currit cum tempore. Nihil ex his, quæ videmus, manet. Ego ipſe dum loquor, mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt, quod ait Heraclitus. In idem flumen, bis non deſcendimus. Manet idem fluminis nomen, aqua transmiſſa eſt.* Fluxa ſanè erat hæc de fluxu rerum ſententia, nec ullis ſolidis rationibus ſtabilita. Quod attinet ad Ariſtotelis de humidi terminis verba, quæ Grotius L. II. de J. B. & P. c. II. §. 3. tanquam ſacram anchoram arripit, Reſp. ea illicitâ diviſione divelli. Non enim ibi Philoſophus, humidum tantum ἀόριστον, ſed etiam εὐόριστον vocat. Non ſolum docet, quod difficulter, ſed inſuper quod facile terminos ſuſcipiat. Humidum facilè definitur terminô alienô, difficulter propriô. Sic aër terminis domûs facilè definitur, ſed propriô terminô haud facilè circumſcribitur. Non incommodè aſſeri poteſt, committi in hâc objectione μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, quia medium peregrinum aſſumitur, ad confirmandam concluſionem Politicam vid. L. 1. Poſter. Anal. c. VII. Mare hic non conſideratur directè ſecundum ſuam naturam, ſed quatenus capax eſt, ut in eô dominium aliquod exerceatur. Quando jam pergit Grotius dicens: *Liquida, quia per ſe non occupantur, occupari nequeunt, niſi ut contenta in*

re aliâ concedere debet, etiam mare posse occupari, quando probabitur, illud contineri in re aliâ. Facilè id expedietur, si attendas, mare contineri terrâ, ejusque partibus, scilicet littoribus, quod nisi fieret, diluviô perpetuô intumesceret. Mutuô ergò nexu sibi junguntur corpora hæc, & velut amplexu quôdam se invicem stringunt, quemadmodum id facetè indicat Ovenus L. I. Epigr. 98. sic canens:

Cur fluit ex terrâ, terram circumfluit humor?
Ne quam terra sitim sentiat, unda famem.

Ægyptii lutram, & hominem unô colligabant vinculô, ad denotandam terræ, marisque connexionem Pierius L. XXV. Hieroglyph. f.230. & Philipp. Camerar. Centur. I. Horar. subcis. cap. LXXXI. Scaliger affirmat, & terram mari, & mare terrâ contineri, his verbis: *Neque enim ab alterô alterum ita continetur, quin illud quoque contineat. Neque inter sese adeò sejunguntur, quin vicissim tum subeant, tum abscedant*, Exerc. XXXVII. Veterum quidam terram à mari, quidam mare à terrâ contineri significarunt, quando inter eos Metrodorus, terram esse fœcem, ac sedimentum aquæ docuit. Alii aquæ innatare instar platani foliorum, aut asserum statuerunt. Empedocles mare esse sudorem terræ, à Sole adustæ, eumque sudorem nimiâ sui compressione emittentis, asseruit, quæ opinionum terriculamenta exhibet Plutarch. L. III. de placit. Philosoph. c. IX. XV. & XVI. Ambrosius l. c. non de civili maris partitione, sed de occultis piscium in aquâ receptaculis, contra curiosos percontatores loquitur. Verba pleniora hæc sunt: *Quis Geometra his* (piscibus) *divisit habitacula, nullis rumpenda temporibus? Sed Geometram audivimus, Thalassometram nunquam audivimus, & tamen pisces mensuram suam norunt.* Non potuit ipsi esse ignotum, mare divisionis esse capax, & terminorum. Longè ante eum, Persæ à Græcis in angustias redacti, promittere cogebantur, temperaturos se esse à Græcô mari, quantum est equi cur-

sus,

ſus, ultra Cyaneos, atque Chelidonios, longâ navi, ferroque roſtratâ, non eſſe navigaturos, teſte Plutarcho in Vitâ Cimonis. Moriſotus, quando aquam fluxile elementum, & nunquam idem appellat, Heracliti memoratam hæreſin ſpirare videtur. Quando dicit: *Quemadmodum avis dum volat, non poſſidet aërem, ita navem, aut claſſem æquor poſſidere, ridiculum foret affirmare*, Reſp. committere eum fallaciam conſequentis. Verum quidem eſt, quod ad omnem occupationem, requiratur apprehenſio corporalis, ſed non ubi apprehenſio corporalis, ibi etiam eſt digna occupatio. Alias etiam lapis dici poſſet occupare mare, terram, vel aërem, quoties in aliquod horum projicitur. Debitum ergo, & imperii exercendi capax adſit ſubjectum, requiritur. Reliqua verba, ad colorem magis, quam ad robur conciliandum videntur eſſe excogitata. Patet ex his, quod in objectione ſecundâ minor debeat negari.

§. XXV.

Ad tertiam objectionem Reſp. Neg. Majorem. Non enim deſinit proprium eſſe certis, quod ſufficere poſſet pluribus, vel omnibus. Proſunt multis fons in urbe, & ærarium in Republicâ, neque tamen propriis idcirco carent Dominis. Terræ etiam tanta eſt magnitudo, ut cuilibet populo, ad uſus neceſſarios ſufficere queat, num autem ideò in proprietatem non tranſeat? Opponuntur hic ſibi invicem, quæ non erant opponenda, ſcilicet proprietas, & uſus communis, cum tamen una, eademque res, diverſô reſpectu, communis, & propria eſſe poſſit. In probatione majoris, cauſa proprietatis non benè aſſignatur, nimirum defectus copiæ, ad uſus plurium, vel omnium requiſitæ. Prout namque propter copiam non ſtatim introducitur communio; alias nullus in Republicâ foret dives, ſi propter abundantiam bonorum, ex æquô ea cogeretur diſtribuere; Ita defectus, ad uſus plurium requiſitus, cauſa ſufficiens proprietatis dici non meretur. Nam ſic ſoli egeni, quorum bona aliis ſufficere non poſſunt, proprietate eorum gaudere dicerentur, quod inconveniens. Proprietatem potius conſtituit poſſeſſio jure acquiſita, citra reſpectum vel copiæ ſufficientis, vel defectus. Interim proprietati non obſtant

copia,

copia, & magnitudo, sed eam promovent, quia injustum non est, ut totum fiat proprium, quod per partes sine injuriâ cujuspiam occupatum, etiam alterius usibus restat. Hæc si ad mare applicentur, manifestum evadet, illud secundum quosdam usus v. c. usum lavandi, & navigandi, cunctis sufficere, secundum quosdam usus verò, ut usum vectigalia à navigantibus poscendi, usum fructus marinos, scilicet corallia, uniones, & succinum colligendi, non sufficere omnibus. Ergo eô ipsô mediô terminô, quô libertatem maris asserere volunt, evincitur ejus servitus. Nam quia mare non sufficit omnibus, secundum omnes usus, igitur debet proprium fieri, vi allatæ hypotheseos. De testimoniis Poëtarum allegatis dicimus, quod verba hæc aliud agentibus exciderint, nec nisi ad communionem maris secundum certos tantum usus, extendi queunt, quæ sane simpliciter non negatur, inprimis si accedat voluntas ejus, qui proprietate aquæ alicujus gaudet, prout in Virgilii æque ac Ovidii citatis verbis, libertas aquæ hypothetica, à dominô ejus impetrata, proponitur. Sic enim pergit Latona apud Ovidium. *Quæ tamen ut detis, supplex peto.* Virgilius haud obscurè dominium maris innuit quando L. I. Æneidos filiam Jovis, cum Patre de futuro Romanorum imperiô sic loquentem introducit:

Certè hinc Romanos olim volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocatô à sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent
Pollicitus, quæ te Genitor sententia vertit?

Idem L. I. Georgic. post init. de Augusto Imperatore hæc habet:

An Deus immensi venias Maris, ac tua nautæ
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis?

Ut taceam nunc esse quosdam, qui adventum Æneæ in Italiam, Poëtis decantissimum, prorsus in dubium vocant; Coronidis locum contra reliquas JCtorum, & Historicorum auctoritates, impleant ipsius Grotii verba, qui in aliô occupatus argumentô, L. I. de J. Belli, & Pacis c. III. §. V. 6. sic fatur: *Meminerimus non omnia probare, quæ à quamvis præclaræ famæ auctoribus dicuntur. Sæpe enim tempori, sæpè affectibus serviunt, & aptant* τῷ πέτρῳ στάθμην. *Quare danda est opera, ut in his rebus, defecato utamur judiciô, nec quæ excusari magis, quam laudari possunt, temerè in exemplum rapiamus, in quô perniciosè errari solet.*

SOLI DEO GLORIA.

[illegible]

~~Conrii Samti~~

~~Exercitatio politica de imperio in mare~~

~~posterior~~